PRAELECTIO
DE
MATHESEOS VSV
IN
THEOLOGIA.

Habita

à

JOH. JACOBO SCHEUCHZERO,
Med. D. Math. P.

Tycho Brahe Epist. ad *Conrad. Assachum* ap. *Melch. Adam.* in *Vitis Theolog.* pag. 840.

Optarem plures ejusmodi Concionatores, (de Bartholomeo Pitisco loquitur) *reperiri, qui Geometrica gnaviter callerent, fortè plus esset in iis circumspecti & solidi judicii, rixarum inanium & Logomachiarum minùs.*

TIGURI,

Impensis Joh. Finsleri, Bibliop.
Typis Hardmejerianis, M D C C XI.

VIRO CELEBERRIMO

JACOBO HERMANNO,

BASILIENSI

MATHESEOS IN ILLUSTRI

ACADEMIA PATAVINA

PROFESSORI

AMICO OPTIMO

S. P. D.

Author.

PRÆLECTIO MATHEMATICA.

SUperſedere facilè poſſem commendatione Matheſeos, niſi in Terra viverem Incognita, ubi Lingua Mathematicorum nîl minus eſt quàm vernacula, Notæ Algebraicæ ignorantur, numericæ Oeconomicæ magis quàm Scientificæ, & figuræ vel primo aſpectu incutiunt horrorem, vel ſaltem pariunt nauſeam. Opus igitur eſt & repræſentatione, & commendatione, Scientiæ omnium poſt Theologiam nobiliſſimæ, quoniam inde ab annis benè multis à pomœriis Scholæ pulſa in Democriti latuit puteo, protracta paucis abhinc ſeptimanis in dias luminis auras juſſu & authoritate Illuſtrium Scholæ noſtræ Tutorum & Protectorum, quorum mandato Cathedram hanc, nec tamen invitus, conſcendo; fidem pollicens Curatoribus & Dominis meis Ampliſſimis atque Reverendis, qui horam nullâ ſolicitatam prece, ſed ſpontaneâ benevolentiâ mihi obtulêre, ſinceritatem & veri ſtudium bonique Collegis Venerandis, operam, labores, & profectus Studioſis. Occurrit tantorum in convivio hoc proœmiali Mathematico copia ferculorum, tanta ubertas rerum, ut neſciam, τὶ πρῶτον, τὶ δ' ἔπειτα, τὶ δ' ὕστερον καταλέξω. Horam terere poſſem ſolâ diviſione & denominatione Partium Matheſeos, puræ, mixtæ, Phoronomiæ, Staticæ, Mechanicæ, Coſmographiæ, Opticæ, Acuſticæ, Architecturæ, denique, quas primùm proferre oportuerat, Arithmeticæ, & Geometriæ. Multa poſſem præfari de variis Matheſeos apud varias Gentes fatis, de Migratione ejus ab Adami & Noachi poſteris ad Aſſyrios & Chaldeos; ab his ad Ægyptios; ex Ægypto in Græciam, ex Græcia in Italiam, aliasque Europæ Regiones, ad ultimam uſque Thulen; Omitto ampliſſimos, quos Matheſis habet, uſus in Politica, Jure, Phyſica, Artibus Mechanicis, ſuo etiam loco & tempore explanandos, & impræſentiarum ſtudiô tractabo de *Uſu Matheſeos* in *Theologia*. Rem vobis miram, fortè inutilem, fortè paradoxam, ſaltem non neceſſariam! Suſpendite, rogo, Auditores, judicium, donec dixero. Dicam autem clarè, ſine fuco, & breviter,

quantum fieri poteſt, non enim amat Matheſis ſesquipedalia verba.

Matheſis eſt *Quantorum ſcientia*; imò verò non meliùs definivero, & accuratiùs divinam, quam profitebor, Scientiam, quàm verbis Sapientiſſimi Solomonis, vel eruditiſſimi Philonis, Sap.XI.21. quód inveſtiget *numerum, pondus, menſuram*, quibus omnia creavit DEUS. *Numerum dabit Arithmetica, pondus Statica, menſuram Geometria.* Quid, obſecro Vos, & per conſcientias obteſtor, Theologo, Theologiæ ſtudioſo, imò verò Homini cuivis ſanâ ratione prædito, dignius, quám id, quod DEUS creavit, æquâ & poſſibili mentis trutinâ perpendere, ponderare, numerare, menſurare? Qui mecum ita aſpicit Mundum, is in *numero* innumero corporum & corpuſculorum, imò & numero cogitationum & actionum noſtrarum, malarum, irregularium, tanquam in ſpeculo, videt *innumerabiles* Divinæ Sapientiæ & Potentiæ Theſauros, innumera Bonitatis & Miſericordiæ, erga corruptos nos miſerosque Mortales, exempla, gratias agit DEO ſine numero: qui *pondera* corporum omnium erga invicem, æquilibrium conſtans in continua motuum variatione, reſiſtentias & vires, trutinat, is rurſum DEUM videt Mundi Creatorem & Conſervatorem, vitæ noſtræ Dominum, imò omnium bonorum juſtiſſimum & æquiſſimum diſpenſatorem; Qui denique *menſuras* corporum, leges motuum in continua variatione harmonicas, conſtantiſſimas, magnitudinem, figuram, ſitum, admirabili omnia ordine contemplatur, is rurſum quovis momento videt, Θεὸν ἀεὶ γεωμετρεῖν, DEI actiones eſſe regulariſſimas, Ideis æternæ Veritatis, omnibus numeris & menſuris perfectiſſimæ, reſpondentes. Ipſum ſpithamâ, decempedâ, perpendiculo, Inſtrumentis ipſi in Sacris tributis, in hoc Proportionum & Harmoniarum Sapientiæ Divinæ Theatro perpetim uti. Qui denique ex revelato DEI Verbo, quod Mathematicis æquè ac aliis eſt conceſſum, DEUM cognoſcit, ut Salvatorem, Liberatorem certi numeri fidelium, reprobatorem certi numeri infidelium, cuive datum eſt, DEUM cognoſcere ut ſuum Deum, is tantò magis in DEO & Domino ſuo exultat, cogitationes ſuas & actiones ita

juxta

juxta leges æterni Motoris, & justissimi, sapientissimique Legis latoris dirigit, ne videatur ignorâsse, quód DEUS omnia fecerit certo numero, pondere, & mensurâ. Verbo, qui sese fide verâ adscribit *numero* fidelium, is contentus *mensurâ* Gratiæ exultat sub *pondere* Misericordiæ Divinæ. Id studium est Mathematicum quod non tàm inservit sibi quàm Scientiis aliis, tanquam una ex præcipuis subsidiariis; non adeò invitâ nata est modestiâ Mathesis, ut pro ea haberi velit Scientia, quæ nos reddat verè felices, corruptioni nostræ medeatur in totum; imò verò Hominis miseriam patefacit, limites valdè angustos animæ monstrat, ne ea tumore arrogantiæ inflata, nimiùm, quám par est, sibi tribuat. Hominem à sensualitate, cui à primâ infantiâ immergitur, avocat, ab Ideis voluptuariis corporalibus revocat, ad abstractas, intellectuales, & sic nobile hoc per Lapsum corporificatum, ut ita loquar, ens ad pristinam retrahit originem. Facile hinc inferre licet, post Gratiam Divinam & Pietatis Exercitia resecari hanc præcipuorum vitiorum radicem, imprimis per studia Mathematica, imò & præparari ad recipiendas & gustandas tantó avidiús Christianæ Religionis Veritates. Nil inest Mathesi, speciatim speculativæ, quod sensibus adulatur, quod Animam ad voluptates carnales invitet, non illi ulla est cum concupiscentiis harmonia, non ullus cum Eloquentia nexus, non cum Passionibus animi amicitia; nil pulchri secum fert præter Veritatem, quam sine fuco, sine illecebris nudam præsentat, & mentem disponit ad eam amplectendam cum amore & æquitate. Nec duntaxat inspirat Veritatis gustum, sed modum docet inveniendi eam, tollendo è medio unum ex primariis errorum fontibus, obscuritatem nempe principiorum, quæ animo confusa veri & falsi confinia offert.

Non, quod probè notari volo, Matheseos nomine posco immersionem totalem in hoc studium, neglectis aliis, nisi ab his, qui Mathematici fieri volunt, non subscriptionem pro Secta aliqua, pro Ptolomaismo, Copernicismo, Tychonismo, quemadmodum Sectarum mancipia invenimus passim in Scientiis aliis, sed generalem & solidum complexum Veritatum illarum, quas

de Quanto, ejusque Proprietatibus ſana offert ratio; Veritatem nos ſectamur, non opiniones, non authoritates hominum. Matheſis namque in inveſtigatione veritatum ſuarum methodo progreditur naturaliſſimâ & ſimpliciſſimâ à ſimplicibus ad compoſita, vel compoſita rurſum reſolvit in ſimplicia ſua Elementa; Nihil admittit præter Definitiones claras, conceptus diſtinctos, Axiomata, quæ ne à Scepticis quidem in dubium trahi poſſunt, Poſtulata ultrò admittenda, jungenda jungit, disjungenda ſeparat, Ideas mentis confuſas in ordinem redigit; Sed & odit verborum ambiguitates, æquivocationes, Pſeudologias, uſitatas in Scholis diſtinctiones, Diſtinctionum diſtinctiones, & harum Subdiſtinctiones, Logomachias, rixas, controverſias inanes; Hæc ita ſe habere, tot Exemplis demonſtrant, quot tractant, Mathematici, ut neutiquam dubitare quis debeat de veritate rei. Haud ſanè abs re vocata fuit à ſapientibus Græcis Scientia noſtra Μάθημα, Μάθησις, eo quippe habebatur honore, ut ante Philoſophiam, Rhetoricam, aliasque Scientias in Scholis doceretur, ac ſi præ aliis, & ſola veluti Scientiæ titulum mereretur præclarum, ſicuti ſanè meretur: Hinc *Platoni* quoque Lib.7. *de Rep.* vocatur Προπαίδεια, quaſi dicas *præinſtitutio*, & in *Timæo* ἡ κατὰ παίδευσιν ὁδὸς, *via ad inſtitutionem. Xenocrates* cognominavit eam λαβὰς τῆς φιλοσοφίας, *Philoſophiæ anſas*, quibus hæcarripi debeat: alius κλίμακας καὶ ἐπιβάθρα, *gradus* ac *ſcamna*; *Hierocles* καθαρμὸν τοῦ νοῦς, *purgationem mentis præparatoriam.* Hæc propterea adduco, quia iis temporibus, quibus floruit Græciæ Politia, & Libertas, floruit quoque cum aliis Literis Matheſis, poſteris temporibus ſuppreſſa à Scholaſticismo, qui Europam integram ita inundavit, ut non minora attulerit Scientiis, & fortè ipſi Religioni, damna, quàm Arrianismus; bonâ nunc fortunâ in ipſis Adverſariorum Scholis debellata bellua, ut inde à ſeculo incirca unâ cum Matheſi, & ejus inprimis ſubſidio, refloruerint mirum in modum omnis generis Scientiæ & Artes. Quid autem hæc omnia ad Theologiam? quid, reſpondeo ego, Logica, Metaphyſica, Phyſica ad Theologiam? Eſt autem Matheſis vera Logica, optima Logica, naturaliſſima Logica,

gica, id quod aliâs demonſtratum ibo. Quid, quæſo, Theologo, Paſtori, Studioſo, imò omni homine dignius, quàm in conſiliis ſuis & actionibus lento paſſu, & cum ſanâ ratione progredi, Ideas ſuas pro Veritatis indagatione in ordine habere, confuſionem in docendo & conſulendo evitare, inanes Scholaſticórum rixas odiſſe, ſerram contentionum non reciprocare, clarè ſua ſtudia proſequi, ſuas res proponere? Vobis ipſis, *Auditores*, judicandum linquo, quanto hæc venire poſſint uſui in Concionibus, Conſultationibus, Propoſitionibus, converſatione cum doctis & indoctis, manuductione ad Veritatem & Salutem?

Paucis dicam, *Rationem noſtram in palæſtrâ hac Mathematicâ cùm ad validè retorquenda argumentorum tela, tum ad cautè declinandos Sophismatum ictus: tàm ad nervosè diſſerendum, quàm ad ſolidè dijudicandum, ad promptè inveniendum, ad rectè diſponendum, ad perſpicuè explicandum, utiliter excitari. Nec non ad attentæ meditationis perferendum tædium, ad alacrem cum objectis difficultatibus conflictum, ad pertinacem in ſtudiis ſolertiam, uſu componi mentem, robore confirmari; quin etiam hisce diſciplinis aſſuefactam à credula ſimplicitate penitùs liberari, contra ſcepticam vanitatem fortiſſimè muniri, à temeraria præſumtione validè cohiberi; ad debitum aſſenſum facillimè inclinari; legitimæ rationis imperio perfectè ſubjici, iniquæ præjudiciorum fallacium tyrannidi contumaciter reluctari, Inſtabilem porro phantaſiam hac veluti ſaburrâ liberari, hac fluctuantem anchorâ retineri; obtuſum ingenium hac cote exacui, luxurians hac falce caſtigari: præfervidum hoc modo reprimi, torpidum hoc ſtimulo excitari. Nulla clarius lampade per caliginoſas Naturæ ambages, nullo certius filo per intricatos Philoſophici Labyrinthi anfractus incedentium regi veſtigia: necaliâ demùm bolide Veritatis fundum felicius explorari. Ne dicam, quàm varia præcognitarum rerum ſuppellectile ditetur, quám multiplice poliatur ornatu, quám ſalubri pabulo nutriatur animus, & quám ſincera voluptate perfundatur, ſin præterea dicam, dum à materia ſenſibili mens abſtrahitur & attollitur, puras formas diſtinctè ſpeculatur, pulchras ideas concipit, congruas proportiones inveſtigat, ipſos mores corrigi ſenſim & concinnari, affectus compo-*

ni

ni & compurgari : phantasiam sedari & serenari, ad diviniores intellectum contemplationes erigi atque excitari, nec solus id nec primus dixero. Sed maximorum in Philosophia nominum sententiam meam authoritate defendero, suffragiis confirmavero ; Dies me, vox & Spiritus deficerent vel summa rerum capita cursim perstringentem. Nam illius, quæ Cœlos, quæ terras, quæ maria pervagatur & permetitur, Scientiæ nulla justos limites describat, nulla plenè complectatur utilitates, nulla perfectè Laudes exhauriat Oratio. Hæc solidæ Eloquentiæ Mathematicus, & Theologus orthodoxus Barrovius Orat: Præfator: habit. die 14. Mart. 1664.

Mathesis proin id studium est, quod summam requirit attentionem, non superficiariâ contemplatione contentum, & hoc ipso ingenia mediocria ad majorem evehit acuminis gradum, acuta magis subtilisat, & vel ob hanc ipsam præ aliis Scientiis insignem prærogativam multis in suspicionem venit Theologis, metuentibus, ne nimiâ subtilitate & speculationibus altiùs elevatis deflectant ad Novitatismum, (ignoscite novo vocabulo, cujus tamen vim satis benè mecum percipitis,) & viam sic sibi ipsis pandant ad varias Hæreses; Ast quàm innocens hoc in puncto sit Mathesis, nemo non videt; Ponite *Spinozam*, imò, si ita velitis, centum alios Mathesin edoctos eâ quoque esse abusos, cur exin in exilium mittenda Marhesis, & proscribendi legitimi usus? est Veritas Mathematica æquè donum Ejus, qui est ipsa Veritas, αὐτάλήθεια, radius ex infinitæ Sapientiæ fonte emanans, ut alia Veritas, nisi Veritatem Veritati adversam dixeris. Ne autem Vobis, *Auditores*, imaginemini, cancellos esse Mathesi nullos, licere impunè cum Icaro evolare in altum, usque ad necessarium lapsum, Exemplum producam ex ipsa Mathesi in contrarium. Qui vel primis gustarunt labiis nobilissimæ nostræ Scientiæ prima principia, eos latere non potest, Radicem quadratam vel Cubicam numerorum, quos vocamus surdos, vel irrationales, propiùs semper & propiùs extrahi, sensimque ad veram magis & magis accedere, nec tamen, si in infinitos licèt annos operatio continuetur, unquam esse erutu possibilem. Qui Geometriæ profundioris campum sunt ingressi, eis ignotum non est,

Li-

Lineas Asymptotas, non coincidentes, vel intactas, in Sectione Conica, Hyperbola dicta, propinquiores fieri magis & magis, nunquam tamen, licet in infinitum producantur, posse coincidere. Videt hæc Ratio, videt Ratio sana, & demonstrat, non tamen comprehendit, infinitas numerorum series in unam addit summam, nec tamen comprehendit: infiniti umbram, ut ita loquar, videt, sed simul videt, se cancellis claudi finitis, hoc ipso ipsa condemnat Mathesis Sciolos illos, qui Mysteria Fidei non credunt nisi clarè percipiant, qui illa ad Rationis suæ normam examinare pertendunt, vel etiam exhaurire. Imò verò asserere tutò ausim, porrigere ipsam nostram Mathesin solidissima argumenta Theologis ipsis, sicubi res ipsis & pugna est cum Adversariis Mathematicis. Exempla desideranti non desunt. Et quî quæso pugnabit Theologus non Mathematicus cum Adversario Mathematico? nonne hujus Sophismata quævis ipsum redigent ad incitas? Non nego, quod ipsum initio hujus paragraphi innui, nîl sine labore vendere Mathesin, applicatione opus esse sedulâ, non hîc ullum ignaviæ concedi locum, in sudore animi vescendum esse pane Veritatis. Qui contra Spinosistas Animæ spiritualitatem demonstrare vult, ei solidissima præbet argumenta Mathesis. Quî enim quæso corpus extensum concipere posset & penetrare tam ingentem principiorum longo sæpe, licèt arctissimo, nexu, invicem junctorum numerum? Quî à finito transire ad infinitum? Quadrati Diametri incommensurabilitatem demonstrare, id est, perspicuè videre, inter infinitè variantes particulas unius lineæ non dari ullam, quæ mensura possit esse alterius? infinitatem ipsarum Propositionum videre? nam quod Ex. gr. demonstrat de uno Triangulo, id ad infinita alia se extendit.

Ne autem putetis, *Auditores* optimi, terminari in hactenus expositis generalibus Matheseos in Theologia usus; Audite, obsecro, & considerate patienter, quæ sequuntur.

Inficias nemo ibit, Authoritati Scripturæ Sacræ insigne præter alia κειτήεια momentum dare Historiæ oculum *Chronologiam*, quam vocant, *Sacram*, ejusque proin notitiam Theologo apprimè esse non utilem duntaxat, sed quoque necessariam, ad infallibili-

tatem Sacri Codicis ſolidè tuendam contra Adverſarios. Liberrimus eſt DEUS in agendo, ſed & exactiſſimus in exequendo: Temporis ipſius Author potentiſſimus eſt ſimul ejusdem Numerator, & Menſurator, ſapientiſſimus. Hinc adeò magni æſtimatur Paulo Epheſ. I: 10. Τὸ πλήρωμα τῶν καιρῶν, *Temporum ad impletio*, ſpeciatim in negotio Salutis. Hinc ſummâ curâ expreſſerunt temporis momenta Scriptores Sacri, à Mundo condito ad Diluvium, ab hoc ad Exitum Iſraelitarum ex Ægypto, hinc ad ædificationem Templi Solomonæi, ab hoc ad exſtructionem Templi Secundi, hujusque deſtructionem, ſpeciatim verò ad natum Chriſtum. Quis autem veſtrûm, rogo, inſtituet Calculum, vel intelliget, Chronologicum ſine fundamentis Aſtronomiæ & Arithmeticæ? Quis diſtinctionem inter Annos Iſraelitarum Sacros & Civiles, Solares & Lunares, Menſes itidem Solares & Lunares, comparationem eorum cum aliis, aliarum Gentium, Annis Menſibusque? Quis controverſias circa Calculum Diluvianum, Annos manſionis Iſraelitarum in Ægypto, multiplicationem eorundem in Ægypto, Feſta Hebræorum, de quibus novimus exactiſſimè ex DEI mandato debuiſſe computari, Diei ipſius partitionem apud Hebræos, Epochas Judæorum conferendas cum Epocha Chriſtianorum & aliarum Gentium? Aſtronomiam vult Chronologia, ſed quoque Textus in Sacris literis hinc inde occurrentes, qui ſine hujus Scientiæ ſubſidio nec intelligi nec ſobriè defendi poſſunt; Tranſeo locum Geneſ. XXII. 17. *de numero ſtellarum & arenæ*, quem egregiè illuſtrant modernæ Aſtronomiæ & Geometriæ inventa. Alia ſunt majoris momenti puncta inter Hypotheſes Aſtronomorum controverſa *de Solſtitio Joſuæ*. Joſ. Cap. X. 12. 13. 14. cujus ſtupendum miraculum demonſtrant Copernicani non minùs, imò meliùs, quàm Ptolomaici contra Pererianos, Spinoſiſtas, & hujus farinæ alios. *De ſole retrogrado in Horologio Hiskiæ*. 2. Reg. XX. 1-3. quod miraculum rurſum non ſolùm non extenuant, ſed quàm maximè ad Gloriam DEI exaltant Copernicani. Altera vice nomino Homines multis ex Vobis ſine cauſa exoſos, quorum vel ſola nominatio hæreſeos dat ſuſpicionem, non quòd pro Copernicano haberi velim, ſed quòd miſereat me Hominum Pacis & Veritatis ſtudioſorum;

ſorum; Et quid ſi dixero, *pudorem eſſe* hodie, *Hypotheſi Copernicanæ addictum non eſſe, nedum adverſari?* Verba hæc ſunt J.B. Orthodoxi Mathematici, & pro fundiſſimi, quem terra Helvetica unquam tulit, & totus Orbis Eruditus ex merito veneratur. Pergo ad Loca alia in Aſtronomiam incurrentia, *de ſtella Magorum* Matth.II: 1–16. de *Eclipſi paſſionali*, Matth.XXVII. 45. Marc. XV. 33. Luc.XXIII. 44.45.

Et cur quæſo nos Chriſtiani non Aſtronomiæ ſtudeamus, quum ipſi gentiles exin DEI exiſtentiam comprobarint. Audite ex Græcis *Platonem*, ex Latinis *Ciceronem*. Ille Lib.X. de Legib. in Principio ita inquit. δοκεῖ ῥᾴδιον εἶναι ἀληθεύοντας λέγειν, ὡς εἰσὶ θεοὶ, πρῶτον μὲν γῆ καὶ ἥλιος, ἀστέρες τε καὶ τὰ ξύμπαντα, καὶ τὰ τῶν ὡρῶν διακεκοσμημένα καλῶς διὰ τὸ ἐνιαυτοῖς τε καὶ μηνὶ διειλημμένα, καὶ ὅτι πάντες ἕλληνές τε καὶ βάρβαροι νομίζουσι εἶναι θεούς. *Facile eſt Veritatem hanc oſtendere, quòd Dii ſint; Primùm quidem Terra, Sol, Sydera, ipſumque Univerſum, temporum quoque ornatiſſima varietas, annis menſibusque diſtincta id oſtendunt. Græcorum præterea Barbarorumque omnium conſenſus Deos eſſe fatentium. Cicero de Haruſp. Reſp. Quis eſt tam vecors, qui aut cùm ſuſpexerit in cælum, Deos eſſe non ſentiat, & ea quæ tanta mente fiunt, ut vix quicquam arte ulla ordinem rerum & viciſſitudinem conſequi poſſit, caſu fieri putet? & Lib.II. de Nat. Deor. Tantum ornatum mundi, tantam varietatem, pulchritudinemque rerum cœleſtium, tantam vim & Magnitudinem Maris atque Terrarum, ſi tuum ac non Deorum immortalium domicilium putes, nonne planè deſipere videare.* Ex Aſtronomia *certè humanæ machinæ portentoſam molem animo comprehendimus: Opificii Divini ſtupendam pulchritudinem rectiùs æſtimamus, ſapientius admiramur, noſtræ mentis incredibilem vim & perſpicaciam certis experimentis addiſcimus, ut pio affectu agnoſcamus.* Barrov. l. cit.

Geographiam Theologo eſſe neceſſariam, nulla probatione indiget, annon in Veteri Novoque Teſtamento, tot ferè occurrunt loca, Urbes, Gentes, quot ſunt Capita? Loquatur pro me Celeberrimi *Bocharti Geographia Sacra.* Exempli loco præcipua numerabo, *Paradiſum* ejusque *flumina*, *Diluvianæ inundationis* Hiſtoriam, *Palæſtinæ* Geographiam, ubi in ſpecie notandum, expeditio-

nem illam Num.XIII. & XIV. jussu DEI per Mosen 12. viris commissam, ad recognoscendam Terram Sanctam, & alteram Josuæ XVIII. 19. jussu Josuæ per 36. Viros ad eundem finem pro distributione faciunda vix nisi auxilio exactioris Geographiæ & Geometriæ institui potuisse.

Arithmetica, una ex totius Matheseos basibus, omnibus omninò Hominibus est perutilis & necessaria, & cur non etiam Scholæ nostræ, cur non Studiosis ipsius Theologiæ, addo ipsis Theologis? vel quis sine Arithmetica intelliget Chronologiam Sacram? quis leget controversias circa numerum Hominum tempore Diluvii viventium, multiplicationem Israelitarum, numerum reducum ex Captivitate Babylonica, numeros illos Propheticos in Apocalypsi; alia omitto.

Geometria, præsertim moderna, ad præaltum subtilitatis gradum evecta Theologum docet, Θεὸν ἀεὶ γεωμετρεῖν. DEUM semper & ubique in omnibus figuris, motibus, horum gradibus, & varietatibus, in Macrocosmo & Microcosmo, in Creatione & Conservatione rerum, geometrizare, & per figuras geometricas mysteria non unius generis insinuare; sunt autem *figuræ* Geometricæ, *quadratæ* vel *rectangulæ* Arcæ Foederis, Templi Solomonis, Tabularum Mosis, Urbium Leviticarum, Hierosolymæ novæ, Arcæ, Fenestrarum, aliarumque partium Templi Solomonæi, Scripturæ ipsius Hebræorum quadratæ dictæ; *Cubicæ* figuræ sunt, Sanctissimum Templi Solomonis: 1.Reg. VI. 20. Nova Hierosolyma Apoc. XXI. 16. Cubi tres dimensiones, τὸ πλάτος καὶ μῆκος, καὶ βάθος, καὶ ὕψος, Latitudinem, Longitudinem, Profunditatem & Altitudinem, in celebranda immensa Sapientia & Bonitate Divina adhibet eruditissimus ille Gentium Apostolus Ephes. III. 18. Qui stupendam capacitatem Arcæ Noachi cum maximi nominis Theologo Tigurino Μακαρίτῃ ipse capere, aliisque demonstrare, & vel cum Templo Solomonæo, vel cum maximæ molis navibus hodiernis comparare vult, is calculo opus habet Geometrico, Stereometrico, ne in errores incidat *Deliorum*, quibus Oraculum injungebat duplicationem Altaris Cubici, quod octuplicarunt. Vitr. L. X V. C. 25. vel Magni illius *Augustini* Lib. X V. C. 25.

ubi

ubi omnes tres dimensiones arcæ triplicat: Quis ἀγεωμέτρητος, mensurabit Mare Æneum, proportionem suæ diametri ad circumferentiam? Quis intelliget mensuras & pondera in Scriptura Sacra usitata, Calamum, Cubitum, Palmum, eaque conferet cum mensuris, & Ponderibus Græcorum, Romanorum, aliorumve populorum?

Architecturæ Navalis stupendum omnibus numeris absolutum Exemplar est *Arca Noachi*, cujus Author & Director fuit ipse DEUS Genes. VI. Circa eam occurrunt Quæstiones plurimæ ex Architecturæ navalis & Geometriæ principiis unicè solvendæ, quas nunc silentio prætereo.

Architecturæ Civilis, imò verò *Sacræ*, Exempla prostant plurima, *Turris Babylonica*, *Altaria* & Monumenta, inprimis *Altare Holocaustorum*, *Urbes* & *suburbia Levitarum*; inprimis verò *Templum Solomonis*, quod exquisitissimæ Architecturæ Exemplar, à DEO ipso ordinatum, magnæ molis commentationibus, nec sine causa occasionem dedit. Quot autem, Vos obtestor *Auditores*, sunt ex Ministris nostris, ne dicam Studiosis, qui Textus de stupendæ molis & artificii Fabrica hac intelligunt, vel cum ratione legunt?

Tacticæ, quæ species est *Architecturæ Militaris* Exemplum dat rursus Divinæ ordinationis *castrametatio Israelitarum* in deserto.

Non miramini, *Auditores* Optimi, quód ultimo loco ponam *Astrologiam judiciariam*: est hæc ipsa Scientia, quam detestatur Scriptura Sacra, quam ridet & sibilo explodit hodierna sana Mathesis, ut ne quidem intra pomæria ejus ullum locum habeat ampliùs; sunt huic ἀστρομανίᾳ vel ἀστρομαντίᾳ addicti veri *Mattimatti*, non *Mathematici*, ut mirer adhuc dum tolerari in Rebuspublicis Christianis eorum miseras prognosticationes, imò verò à multis studium Mathematicum hoc Astrologiæ Titulo, uti olim apud Romanos abusivè vel malignè intelligi.

Non profluit, quam protuli, Matheseos pro Theologia commendatio ex novaturiendi pruritu, non ex contradicendi, sed juvandi, studio, sed ex puro Veritatis amore. Major Studiosorum, qui Classimeæ assignantur, numerus ad Theologiam aspirat, & cur

ipsis tradenda Mathesis, si nulli est usui? Cur auferenda, si magno? Quod nobilissimis quibusvis Scientiis, id Mathesi quoque accidit, ut si parùm sint cognitæ, exiguæ quoque reputentur utilitatis: quasi verò usus mensurari debeat ex frequenti rerum versatione. Juxta hanc Regulam maximè æstimanda venit Theologia & Philosophia Scholastica, quia quotidiani in Scholis & Cœnobiis Adversariorum est usus. Veritas nobis Mathematicis semper est Veritas, seu vetus ea sit, seu nova, modò sit Veritas; Habemus & veneramur Veritates Pythagoreas, Euclideas, Archimedeas, & si quæ aliæ sunt veteres, juxta Leibnitianas, Neutonianas, Bernoullianas, aliasque novas. Veritatem sine respectu ætatis æstimat Mathesis, imò producit & veluti ex massa ignorantiæ rudi effigiat, viamque aliis ad Veritatem inveniendam monstrat, in Veritatis via progredi mente serena, oculisque apertis docet, ordinem, ἀκρίβειαν, puritatem ubique observat, morbis mentis nostræ medetur, ut possit jure dici Medicina mentis, vires mentis sanas conservans & læsas restituens, vagam & volatilem figens, fixam volatilisans, stupidam acuens, elatam deprimens.

Aurea sunt verba aureæ præfationi Actorum *Societatis Regiæ Gallicæ* Anni Scil. 1699. inserta. *Il est toujours utile de penser juste, memes sur des sujets inutiles, Quand les nombres & les lignes ne conduiroient absolument a rien, ce seroient toujours les seules connoissances certaines, qui ayent eté accordées à nos lumieres naturelles, & elles serviroient à donner plus surement à notre raison la premiere habitude, & le premier ply du vray. Elles nous apprendroient à operer sur les Verités, à en prendre le fil souvent tres delié, & presque imperceptible, a le suivre aussiloin qu'il peut s'etendre, enfin elles nous rendroient le vray si familier, que nous pourrions end'autres rencontres le reconnoitre au premier coup d'oeil, & presque par instinct. L'Esprit Geometrique n'estpas si attachè à la Geometrie, qu'il n'en puisse etre tirè, & transporté a d'autres connoissances. Un ouvrage de Morale, de Politique, de Critique, peutetre meme d'Eloquence, en sera plus beau, toutes choses d'ailleurs egales, s'il est fait de main de Geometre. L'Ordre, la netteté, la precision, l'exactitude, qui regnent dans les bons Livres depuis un certain Temps, pourroient bien avoir leur*

premie-

premiere Source dans cet Esprit Geometrique, qui se repand plus que jamais, & qui en quelque façon se communique de proche en proche a ceux mesme, qui ne conoissent pas la Geometrie. Enfin tout ce qui nous eleve a des reflexions, qui quoyque purement speculatives sont grandes & nobles, est d'une utilité, qu'on peut appeller Spirituelle & Philosophique. L'Esprit à ses besoins & peut étre aussi etendus, que ceux du corps. Il veut sçavoir, tout ce qui peut etre, connu, lui est necessaire, & rien ne marque mieux, combien il est destiné à la verité, rien n'est peut etre plus glorieux pour luy que le charme que l'on eprouve, & quelque fois malgré soy, dans les plus seches & les plus epineuses recherches de l'Algebre. Hæc si ita se habeant, quid impedit, amantissimi *Studiosi*, ad quos mea se convertit Oratio, quò minùs ambabus amplectamini ulnis, *Mathesin subtilitate non spinosâ, difficultate neutiquam perplexâ, disquisitione minimè contentiosâ, studiosos animos exercentem validè, non vanè deludentem, non anxiè discrutiantem; Sine pugna vincentem, sine pompa triumphantem, absque vi cogentem, citra jacturam libertatis absolutè dominantem; non fidei subdolè struentem insidias, sed armatæ rationi apertum Martem inferentem, integram palmam extorquentem, inevitabiles catenas injicientem, quot verba, tot fundentem oracula, quotque opera, tot miracula patrantem, nihil effutientem temerè, vel ineptè molientem; Sed universa perspicuè demonstrantem, promptè peragentem; non scientiæ fallaces umbras obtrudentem, sed ipsissimam animo scientiam ingerentem, cui ad hærescat firmiter, quam continuò possideat, à qua nunquam aut sponte sua decedat, aut ulla vi depellatur; Mathesin denuo principiis menti claris, experientiæ consentaneis suffultam, certas conclusiones elicientem, utilibus regulis instructam jucundas quæstiones enodantem, mirabiles effectus producentem: Artium penè dixissem omnium fœcundam parentem, scientiarum inconcussam basin, in rem humanam emergentium commoditatum uberrimam Scaturiginem; cui saltem uni æquum sit, ut præcipua vitæ oblectamenta, præsidia salutis, incrementa fortunæ, compendia, labores, accepta referamus; Ita rursus insignis* Mathematicus & Theologus *Isaac Barrov. in Orat. citat.* Videtis, Auditores, egisse me hactenus in commendando Matheseos studio ad Theologiam

Appli-

Applicativo Ratione, non Authoritate, non Exemplis. Potuiſſem, & forſan licuiſſet, ex Sacris in Scenam producere *Noachum, Abrahamum, Moſen, Hiobum, Solomonem*; Ex primæ Eccleſiæ Antiſtitibus, *Hieronymum, Auguſtinum, Clementem Alexandrinum.* Ex Majoribus noſtris *Bullingerum, Simlerum, Stukium, Lemannum*; Ex modernis doctrinâ & pietate innumeros Theologos. Sed quoque ad calculum revocare plerosque Sectarum & Hæreſium Authores, Matheſeos ignariſſimos; Sed nec diffiteor, multos ſummos fuiſſe eſſeque Theologos, ſine Mathematicarum Scientiarum ſubſidio, neque illis detraham ego

Hærentem Capite multa cum laude coronam.

EUSEBIUS Lib. VI. cap. 18. ex Verſione *Henrici Valeſii*; Quoscunque Origenes ex diſcipulis ſolertiâ & acumine ingenii præditos animadverterat, eos in Philoſophiam introducebat, Geometriam illis tradens, & Arithmeticam, aliasque prævias diſciplinas, inde ad varias Philoſophorum ſectas eos perducens, & libros á veteribus Philoſophis conſcriptos exponens: commentarios quoque in ſingulos ſcribens, & reconditos ſenſus penitus inquirens: adeò ut apud ipſos etiam Gentiles ſummus Philoſophus pronuntiaretur. Ex rudioribus verò atque hebetioris ingenii diſcipulis, multos ad humaniorum artium ſtudia cohortabatur; aſſerens, non mediocrem illos facultatem ex hujusmodi ſtudiis percepturos eſſe ad Sacrarum Scripturarum intelligentiam.

HENR. BULLINGERUS Eccl. Tigurinæ Reformator & Antiſtes *de Inſtitut. Studior.* p. 41. Attingendæ ſunt etiam Mathematicæ Diſciplinæ. Hæ ſunt Arithmetica, Aſtronomia, Geometria, Muſica, Nam ſi ignorentur penitùs, maximo ſunt impedimento, quemadmodum maximo adjumento, ſi non ignorentur. Nulla enim Profeſſio tam humilis eſt, in quam non incidant hæ diſciplinæ. Imò quævis Profeſſio ſublimior eſt & elegantior, hoc iniſtis frequentius verſatur. Teſtes ſunt *Theologia*, Philoſophia, Poeſis, Oratoria, Hiſtoria, quibus cum fructu operam dabis, ſi eruditus fueris in Mathematicis, fruſtra & ſingulari impedimento lecturus, ſi ignores. Itaque qui in contemptum Mathematicæ producunt, quod alibi legunt, Matheſeos ſtudia apud veteres inter puerorum rudimenta eſſe connumerata, vehementer errant. Hoc enim commodatiora nobis eſſe debent, qui vide-

videmus ista tanti nominis fuisse apud vetustos, ut potissimam curam in illis tradendis habuerint. Sic *Plato* in *Epimenide* ante omnia numeros edocendos pueros esse jubet, sine quibus nec res propriæ, nec publicæ satis commodé administrari queant. Recté ergò dixit Pythagoras, absque Mathematico quadrijo haud facile Philosophiæ apicem contingi. Propterea qui illud neglectui habuerit, cogitare subinde debet, se philosophari haud recté. Quoniam Mathematicæ disciplinæ subsellia quædam sint & elementa vel gradus, quibus conscendatur ad altiora. Hactenus adduximus Pythagoræ sententiam. Quod si diutius illis morandum gyris, aut etiam consenescendum duces, non gradus tibi ad altiora pares, sed lapsum struas. Id quod *Aristotelem* non piguit adserere. Cæterúm primas inter istas obtinet Geometria. Hæc sub se habet Geographiam, Cosmographiam, Chorographiam, Topographiam, Topothesiam. De quibus multa insignis eruditionis, venerandæ pietatis vir *Joachimus Vadianus* in Catechesi sua Pomponiana — — — — —

JOH. JAC. BREITINGERUS Eccl. Tigurinæ Antistes in Hypomnemat. Subitan. in gratiam *Joh. Jac. Wolphii.* Cumprimis artium Mathematicarum imperitiam fuge. Est enim in omni ordine Arithmeticæ, Geometriæ, Geodæsiæ, adde & Astronomiæ usus plurimus & venerabilis.

SAM. WERENFELSIUS Basiliensis, S. Theol. D. & Prof. in Dissert. *de Logomachiis Erudit.* Cap. X. §. 2. Assuescant Adolescentes meditari, animum intendere, attentionem conservare, ordine conveniente à cognitis paulatim ad incognita progredi, omnia, quæ discunt, ex principiis suis deducere: certa ab incertis, evidentia á verisimilibus, magis probabilia á minús probabilibus discernere: assuescant quoque ignorantiam suam in plerisque rebus animadvertere, ut discant ingenio suo & scientiæ diffidere, judicium sæpe cohibere, ac tardi esse quidem in assentiendo, sed in condemnando longé tardiores. Exerceantur in iis, ubi disputationibus locus non est, quales sunt *Arithmeticæ* & *Geometricæ Demonstrationes*, adversus quas, siquis argumentari vellet, merito suo ab omnibus rideretur, quæ disciplinæ ad scopum nostrum propterea quoque utilissimæ sunt, quia nullæ aliæ magis á verbis nos ad res ipsas deducunt. Hæ solæ ab omnibus vocabulis nihil significantibus penitus sunt perpurgatæ: in his solis in eo nemo fallitur, quód voces quasdam, quibus nulla in mente distincta respondet notio, memoria tenens, rem ipsam intelligere videtur. Scio, non cuilibet licere in his artibus consenescere, sed παιδείας loco periculum in iis facere, saltem in eum finem, ut maturé discernere discamus, quid sit scire, quid sit nescire, ac propterea, quid nos ipsi sciamus, quid nesciamus, ubi nuda verba, ubi res ipsas teneamus, omnibus licet, omnibus utile est, si non necessarium.

***

CAR-

CARMEN.

NUper volens Minerva viſere *Limagi*
Quos *hortulos* conſevit in crepidine,
Num jacta florum pullulâſſent Semina!
Dum curioſo cuncta luſtrat lumine,
Lætatur *artes Dædalas* quàm maximè
Virere; *Laurum* ſed foro *prudentiæ*
Jam nubibus celſum recondere verticem
Scientiarum, quasque linguarum ſimul
Conſpexit altè ſurrigentes ſe areas!
Videndi odorandique quanto gaudio!
Seu *Sacra* rerum *lilia* aſpectaret, aut
Amœna pulchro de *Sophorum* ceſpite;
Eous aut quæ cardo fert *aromata*,
Tum *cinnamomi* traduces ex Atticâ,
Thymosque Tullii madentes roribus:
Complosit illa mox manus et gaudium
Arriſione prodidit non ſimplici;
Sed jam quis, inquit, eſt locus *Parnaſſis*
Amaracis hederisve, queis vates ovant?
Vix dixit, Hortulanus ecce diſgregat
Vepres rubosque, ſubtus oſtendens ſimul
Poeticarum grande meſſium penu,
Quod illa, gaudens, juſſit expurgarier,
Ne vepribus decus ſub altis perderet.
Super *Matheſeos* erat quam viſeret
Minerva *pergulam*, micantem haſtilibus
(Sic æſtumabat) quippe formoſiſſimis,
Antiquitus quorum indidiſſet ſemina
Uberrima, et juſſiſſet hæc curarier.
Eremus autem erat, nec uſpiam ſolo

Surge-

Surgebat hujus herbula aut apex levis
Fruticis, catorum qui voluptas maxima,
Non tulit hanc ſpeciem, commoto pectore, Pallas,
Accelerare jubet, vulnus qui ritè pudendum
Perſanet, veteresque horto ſic reddat honores!
En *Scheuchzerus* adeſt, gemini mera gloria Phœbi,
Quem Gallus, quem Belga colit, quem rurisarator
Auſonii, potor Thameſis, ſolersque Boruſſus:
Quò rarò penetrat callentum fama virorum
Artem æruſcandi potiùs, quàm ſerta docendi!
Mecum erit iſte labos, ait, hic ſeviſſe Matheſin
Fas ſit, et innumeris ſuper æthera tollere ramis,
Theilogiæ, Sophiæque queat quò carpere fructus
Tota manus, ſolideque ſuas condire patellas.
Riſit Glaucopis, laurum monſtravit odoram
Immortale Viro Decus, & ſua regna reviſit.
Vos, ô Patritius ſanguis, ſata pectora Muſis,
Ferventi rapite amplexu quæ commoda vobis
Gignuntur, Muſasque ſemel guſtate retruſas.
Non, qui culpet, erit, ſeu ſi quis, ſpretus abibit.

HEIDEGGERI.

Syllabus Scriptorum á *Scheuchzeris* Fratribus hactenus elaboratorum.

Johannis Jacobi.

Diss. Inaug. *de Surdo Audiente.* Ultraj. 1694. 4. Primitiis hisce occasionem dedit Lex I. Cod. Lib. VI. Tit. 22. quæ ita se habet: Si ei (Surdo) vox articulata á Natura concessa est, nihil prohibet, eum omnia, quæ voluerit, facere, quia scimus, quosdam Jurisconsultos & hoc subtiliús cogitasse, & nullum esse exposuisse, qui penitús non exaudiat, si quis supra cerebrum illius loquatur, secundúm quod Jubentio Celso placuit.

De *Generatione Conchitarum* Epistola ad Cl. *Joh. Christophorum Sturmium* Phys. & Math. Prof. in Acad. Altorffinâ, Inserta est Appendici *Ephemerid. German.* Dec. III. Ann. IV. p. 152.

Charta Invitatoria, Quæstionibus, quæ *Historiam Helvetiæ Naturalem* concernunt, præfixa. Lat. & Germ. 4.

De *Dendritis, aliisque Lapidibus, qui in superficie sua Plantarum, foliorum, florum, figuras exprimunt*, Diss. Epistolica ad Exc. D. *Michaelem Lochnerum* Acad. Nat. Curios. Ann. V. & VI. p. 57.

Epistola *de Cerva Cornuta* ad Cl. D. *Joh. Fridericum Leopold.* Lubecensem, Dissertationi ejus *de Alce* Inaug. adnexa. Basil. 1700. 4.

Historiæ Naturalis Helveticæ Prolegomena. Resp. Joh. Rodolpho Lavatero, Med. Stud. Tig. Typ. Gessner. 1700. 4.

——— ——— ——— Diss. II. *Stoicheiologica ad Helvetiam applicata.* Resp. Joh. Huldrico Hegnero Vitodur. Ib. 1700. 4.

Physica oder *Natur Wissenschaft.* Zürich bey Henrich Bodmer. 1701. 8.

——— ——— altera Editio auctior, & figuris ornata prodiit. Ib. ap. Eund. 1711. 8. cum figg. æn.

Kern der Natur Wissenschaft, s. Medulla Physicæ. Ib. ap. eund. 1711. 8.

Specimen Lithographiæ Helveticæ curiosæ, quo Lapides ex Figuratis Helveticis Selectissimi æri incisi sistuntur & describuntur. Tig. Typ. Gessner. 1702. 8.

Ὀυετιφοίτης *Helveticus*, sive *Itineris Alpini* Descriptio Medico-Physica. Ib. ap. eund. 1702. 4.

Nova Literaria Helvetica Anni 1701. Ib. ap. eund. 1702. 8.

1702.

——— ——— ——— 1702. Tig. ap. Rod. Simler. 1703.
— — — — ——— 1703. Ib. Typ. Geſſner. 1704. 8.
— — — — — — — — 1704. Ib. 1705. 8.
— — — — — — — 1705. & 1706. Ib. 1707. 8.
— — — — — — — — 1707. & 1708. Ib. 1709. 8.
— — — — — — — — 1709. & 1710. Ib. 1711. 8.

Joh. Woodvvardi Med D. Phyſicæ in Greshamenſi Collegio, quod Londini eſt, Profeſſoris, Reg. Soc. nec non Collegii Med. Membri *Specimen Geographiæ Phyſicæ, quo agitur de Terra & Corporibus Terreſtribus, ſpeciatim Mineralibus, nec non Mari, Fluminibus & Fontibus. Accedit Diluvii univerſalis, effectuumq; ejus in Terra deſcriptio.* Tig. Typ. Geſſner. 1703. 8. Titulus Anglicus hic eſt. *An Eſſay tovvards a Natural Hiſtory of the Earth, and Terreſtrial Bodies, eſpecially Minerals: as alſo of the ſea, Rivers, and ſprings: With an Account of the univerſal Deluge: and of the effects, that id had upon the Earth,* Lond. 1695. & 1702. 8.

Beſchreibung der Natur Geſchichten des Schvveizerlands. Erſter Theil, Zürich. 1706. 4.

— — — — — — — — Zvveyter Theil. Ib. 1707. 4.
— — — — — — — — Dritter Theil, enthaltende vornemlich eine über die *höchſten Alpgebirge* A. 1705. gethane *Reiſe.* Ib. 1708. 4.

Ὀυρεσιφοίτης Helveticus, ſive *Itinera alpina tria, in quibus Incolæ, Animalia, Plantæ, Montium altitudines Barometricæ, Cœli & Soli temperies* &c. exponitur, & Iconibus illuſtratur. Lond. impenſis Soc. Reg. Typ. Henrici Clements ad inſigne Lunæ falcatæ in Cæmiterio D. Pauli 1708. 4. cum Tabb. æn. 44.

Diſſ. Epiſtolica *de Montium altitudine & dimenſione* ad Ill. *Iſaacum Nevvton*, Soc. Reg. Angl. Præſidem.

Piſcium Querelæ & vindiciæ. Tig. Typ. Geſſn. 1708. 4 cum figg. æneis.

Bildniſſen verſchiedener Fiſchen, und dero Theilen, vvelche in der Sündflut zu grund gegangen. Zürich. 1708. 4

Obſervation de l' Eclipſe de Lune de l' An 1706. faite par Meſſ. Scheuchzer & compareé a la meſme Eclipſe faite a Rome par Mons. *Maraldi.* Memoir. de l' Acad. Roy. des Scienc. Ann. 1707. p. 555. Philoſ. Tranſact. n. 310. p. 2394.

Obſervationes variæ *Barometricæ* memorantur in Hiſt. de l' Acad. Roy 1708. 26. ut &

Schediaſma *de Generatione & ſpeciebus Cryſtalli* p. 33.

Herbarium Diluvianum Tig. 1709. Typ. Gessn. fol. Reg.

C. *Plinii secundi* & *Claudii Salmasii Dialogus de Androdamante.* Biblioth. Choisie de M. le Clerc. Tom. XVII. p. 192.

Die Landschaft Toggenburg gezeichnet A. 1710. Mappa est Toggii Geographica.

Gott zeigende Natur Wissenschaft. Joh Christoph. Sturmii Phys. & Math. P. *Physicæ Generalis usus Metaphysicus aut Theosophicus & Moralis:* ex Lat. in Germ. vers. MSC.

Geistliche Betrachtungen des Herren Pascal. Les *Pensées* de Mr. *Pascal.* Ex Gall. vers. in Germ. MSC.

Todesgedancken Gesprächvveise vorgetragen. *Entretiens sur la Mort* du P. *Malebranche.* Ex Gall. vers. in Germ. MSC.

Die Thorheit und Unvernunftigkeit der Gotteslaugnung, ervviesen von dem Nuzen, und Freude eines auf die Religion begründten Lebens; denen Kräften der Menschlichen Seel; der gestaltsame des beseelten Cörpers: dem Ursprung und Beschaffenheit der Welt, in 8. unterschiedlichen Predigten auss Anordnung des vveltberühmten Rob. Boyle *gehalten von* Richardo Bentley, *der H. Schrift D. auss dem Engelländischen ins Teutsche übersezet.* Latinam versionem adornavit Rev. Dn. *Daniel Ernestus Jablonsky* V. D. M. Potentiss. Regi Pruss. á Consiliis Aulicis, quæ prodiit Berolin. 1696. 8. MSC.

Diluvianæ Inundationis reliquiæ in Comitatibus Neocastrensi & Vallis Anginæ fossiles. MSC.

Musei Tigurini Descriptio, extat in Bibliotheca Civica MSC.

Lapidum Naturâ figuratorum Nomenclator: & *de studio Lapidum figuratorum* Charta commendatitia. MSC.

De *Matheseos usu in Politica.* Germ. MSC.

— — — — — — — — *Medicina.* Bas. 1701. 4.

Idea studii Historico-Patrii pro *studioso Politicæ.* MSC.

Josephi Pitton Tournefort Aquisextiensis *Characteres Plantarum* ex Gall. in Lat. versi. MSC.

P. *Joberti Notitia Rei Nummariæ* ex Gall. in Lat. versa MSC.

Thomæ Willisii Anatome Cerebri ex Lat. in Germ. versa MSC.

Anatomes totius succincta Idea. MSC,

Ὀυρεσιφοίτης *Helveticus*, seu *Itinerum alpinorum descriptiones*, de Annis 1694. 1697. 1699. 1702. 1703. 1704. 1705. 1706. 1707. 1709. 1710. MSC.

Beschreibung der Landschaft Toggenburg. MSC.

Prælectio de usu Matheseos in Theologia. Tig. Typ. Hardmej. 1711. 4.

In *Historia Helvetiæ Naturali* sub Auspiciis & Protectione Ampliss. Magistratus elaboratæ jam sunt sequentes ordine materiæ, in MSC.

Hi-

Historiæ Naturalis Scriptores per universum Orbem.

Stoicheiologia Helvetica.

Helvetiæ Ὀρογραφία.

Ὀρεογραφία seu Descriptio *Montium Helveticorum.*

Hydrographia Helvetica, seu de *Lacubus, Fluminibus.*

Eluviones, Inundationes, submersiones, Aquarum paucitas, Fontes Majales, periodici, varii, famis prænuntii, barometrici, largi, profundi, coquræ ciborum aut loturæ idonei vel inidonei, é saxis proflui, æstate congelati, viæ contrariæ, *In Helvetia.*

Aquæ minerales, Balnea, Acidulæ, Aquæ martiales.

Balnea frigida, Fontes salsi, sulphurei, Aquæ petrificantes, strumosæ, Thermæ.

Venti, Meteora aquea, ignea, emphatica, *Terræmotus,*

Historia Plantarum Helveticarum, ordine Alphabethico.

Tomi sunt plures quám 20. MSC. materiem præbituræ pro 6. circiter Tomis imprimend. in 4.

Iohannis Scheuchzeri. Med. D.

Diss. Inaug. de *usu Historiæ Naturalis in Medicina.* Bas. Typ. Jac. Bertsch. 1706. 4.

Observationes *Historico-naturales Bononiæ factæ* A. 1704. MSC.

——————— in *Itinere Viennensi* factæ. A. 1704. MSC.

Diss. de *Lapicidina Egenburgensi* MSC.

Descriptio *Itineris Tiguro Mediolanum* suscepti A. 1705. MSC.

Agrostographiæ Helveticæ Prodromus, sistens binas *Graminum alpinorum* hactenus non descriptorum, & quorundam ambiguorum Decades. Tig. 1708. cum fig. æn. fol.

Schediasma de origine Montium MSC. ad Ill. societ. Reg. scient. Gall. memoratur dans l' Hist de l' Acad. Roy. 1708. p. 30.

Descriptio *Itineris alpini* Ann. 1709. ad eandem Societatem MSC.

Charta invitatoria ad opus de *Graminibus Helveticis.* 4.

Tourne fortii Characteres in compendiosas Tabulas redacti. MSC.

FINIS.